

JOHANNES IACOBVS ARCHIEPISCOPVS SALIS/
burgensis.



Ohannes Iacobus ex nobili familia Kœnorum in Tirolensi comitatu natus est, anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo. Is optimis præceptoribus commendatus, à pueris operam literis dedit, & earum mediocrem sibi cognitionem acquisiuit. Accedebat & naturalis prudentia, & morum castitas. Itaq; cum is sese Brixiam contulisset, atque sacris incumberet, eius collegij Decanus constitutus fuit. Cum ibi magna laude uiueret, atq; interim Michaël Archiepiscopus Salisburgensis mortuus esset, hic Iohannes Iacobus omnium uotis in eius locum substitutus fuit, Anno millesimo quingentesimo sexagesimo. Eam dignitatem is suscepit, atq; prouinciam commissam optimè administrauit. Itaq; Ferdinando Imperatori gratissimus extitit, qui etiam de rebus arduis saepius cum eo consulit. Est ille procero corpore & liberali facie egregius princeps, præterea literarum unicus amator. Itaq; cum ei opus meum primum de Viris illustribus dedicatum obtulisse, me summa humanitate exceptit, & liberaliter dimisit, anno 1565. quo etiam tempore ille rebus adhuc presuit, & subditis gratissimus extitit. Anon.